

**De materiae hypothese quantum ad naturae scrutatores et medicos /
[Johann Christian August Heinroth].**

Contributors

Heinroth, Johann Christian August, 1773-1843.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Lipsiae, 1827.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mxb979bh>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



No.

B625-g. 3

1878.


GLASGOW

UNIVERSITY

LIBRARY.

—
HAMILTON COLLECTION.

2.



W. v. Hamilton

DE

MATERIAE HYPOTHESI

QUANTUM AD NATURAE SCRUTATORES
ET MEDICOS

AUCTORE

IOA. CHRIST. AUG. HEINROTH

MED. ET PHIL. DOCT. MEDIC. PROF. ORD. DES. THERAPIAE
PSYCHICAE EXTR. NOSOCOM. DIV. GEORGII MEDICUS,
PLUR. SOC. DOCT. SODAL.

L I P S I A E,

APUD C. H. F. HARTMANN.

1 8 2 7.

DE

MATERIAE HYPOTHESES

QUANTUM AD NATURAE SCRUTATORES

ET MEDICOS

LECTOR

W. W. M. M.

IOH. CHRIST. AUG. WILHELMI

PHYSICUS ET HISTORICUS NATURAE
MAGISTRUS ET PROFESSOR
PHYSICAE ET HISTORICAE NATURAE
IN UNIVERSITATE WURTEMBERGENSI

LIPSIAE

APUD G. H. WASSERMANN

1827

6

L e c t u r i s.

Scientiae verae incrementis nihil magis in temporum decursu videtur nocuisse, quam notionum falsarum principia, e quibus, tanquam ex fontibus impuris, errores vasti in campum literarum defluxere. In quibus notionibus temere perperamque admissis primum fere locum obtinet notio materiae ut elementi rerum et naturae omnino universae. Quae quidem merae cogitationis hypostasis dici vix potest quantas in disciplinis physicis ethicisque turbas excitaverit, procreando nimirum in illis atomisticam sterilitatem, in his insolentiam atheisticam, quarum altera scientiae, altera vitae humanae perniciosissima est. Quorum utrumque quum a medicina,

imprimis psychica, alienum non sit, operae pretium duximus materiae hypothesin ventilare in libello mox prodituro, cuius prodromum (iam abhinc biennium cum auditoribus communicatum) Tibi, Lector benevole, hac scriptione commendatum cupimus.

DE MATERIAE HYPOTHESI
QUANTUM AD NATURAE SCRUTATORES ET
MEDICOS.

§. 1.

Innatum est menti humanae studium tum in causas et naturam rerum inquirendi, tum in finem iis propositum. Quod studium cernitur in philosophando.

§. 2.

Apud Orientis populos invisibilia (mens, νοῦς), apud Occidentales visibilia (materia, ὕλη) originibus rerum substernebantur, quippe a quarum indagatione omnis philosophia orditur. Quare quae prima floruit apud Graecos philosophia, fuit materialis.

§. 3.

Thaletem rerum originem ab aqua, Pherecydem a terra, Anaximenem ab aëre, Heraclitum ab igne accepimus repetiisse. Doctrinae vero atomorum, sive philosophiae corpuscularis vel Materialismi proprie sic dicti, auctor exstitit Leucippus, cuius commenta Democritus, usus antea ejus disciplina, magis excoluit, pondere praeditas atomos et impenetrabiles esse docens.

§. 4.

Plato, Aristoteles aliique, postquam materiae, utpote rerum dumtaxat substantiae, vim quandam formatricem adjunxerant, quae ab iis nunc *νοῦς*, nunc *Ζεὺς*, nunc *αἰθήρ*, nunc *ιδέα*, nunc *εἶδος*, nunc *ἐντελέχεια* vocatur, Epicurus nullam omnino aliam esse rerum causam affirmavit nisi atomos, solo casu copulari et in formam redigi solitas. Cuius viri placita, quibus ex Romanis Lucretius maxime fuit, ad recentissimam usque aetatem propagata sunt. Etenim licet Neoplatonicorum, Gnosticorum, Patrum veteris ecclesiae, Scholasticorum denique temporibus plane emortua Epicuri doctrina videretur, recentiori tamen memoria apud Anglos et Franco-

gallos ita est resuscitata, ut, hōrum maxime studio, sive theoriam sive praxin spectes, ad ultimam consummationem perduceretur.

§. 5.

Germanorum philosophi quamquam neque ante neque post Kantium materialismo fuerant dediti, nuper tamen sectatores philosophiae naturalis, quae Schellingium auctorem habet, excultorem Okenium, necessariam scilicet ad creandas res materiam quo certius tenerent, ipsi e mentis propriae penu materiam construxerunt. Qua sola re philosophia ista, caeterum physicis multis ac medicis parum probata, commendatur tamen plerisque omnibus, utpote qui, assueti empiria fretique, et corporum fontem et vitae et animi ipsius a materia repetant.

§. 6.

Quam sententiam mirum in modum fouent experimenta nostri aevi quum chemica tum physiologica. Ac primum quidem corporum materiam subtilissimam metallicaе indolis, Galvanismi ope, Davy Anglus monstravit et Berzelius Suecus. Quod autem ad vitae originem attinet, ex quo Priestleius in viridi, quam vocavit, materia inesse prima plantaris et animalis vitae vestigia iudicavit, omnes fere

harum rerum periti unanimi consensu organicam materiam statuere coeperunt, ex qua omnium formarum omniumque, quibus vita se exserit, modorum causam deducerent, explicantes ex nervorum formatione sensus, ex cerebri natura perceptiones et cogitationes, simul vana nimirum supersedentes animi hypothesi. Cui studio post Gallium nemo acrius incubuit quam Flourens Francogallus, experimentis in vivorum animalium cerebro institutis.

§. 7.

Non est igitur quod mireris psychicos quoque, quos nonnulli vocant, morbos ad hunc usque diem a medicis pro corporis morbis habitos eorumque ad modum curatos esse, praesertim quum vel in animalibus furor, hebetudo, melancholia, quin insania adeo observata fuerint. Ac sane quidem quae de tabe virium animi in morbis corpus affligentibus, deque illarum post restitutam valetudinem reditu, pari modo quae viribus animi, prout corporis vires secundum aetatum vitae rationes vel auctae fuerint vel defecerint, auctis diminutisque observata sunt, multam addere materialistarum placitis auctoritatem, ideoque medicis justam dare materialismi sectandi veniam videntur.

§. 8.

Vim vero et robur praeterea materialismo addidit popularis ille in iudicando consensus, quem „Zeitgeist“ nostrates vocant, daëmonii profecto ad instar per aeva terrasque migrans *πολύμορφος*. Iam Graecis fuit Romanisque eiusmodi indoles, diversa ea tamen adeoque sibi ipsa opposita, prout tempus, quo re vera florere populi isti, discrepabat ab eo tempore, quo ad ruinam labi coeperunt, ita ut apud Graecos invidia, tyrannis, deorumque derisio sequeretur tum hilarem numinum summorum cultum, tum libertatem honestam, tum virtutis artiumque aemulationem; apud Romanos vero patriae amorem et pietatem et moderationem exciperet rapina et morum depravatio et summa luxuries.

§. 9.

Sed quo modo propria ista hominibus nostris indoles eaque materialismo favens formata sit, alius repetendum est. Indole diversa discedunt tempora nostra ab universa antiquitate. Quae enim antiquis temporibus exstiterunt gentes, separatae plane ac sejunctae a reliquis singulae sibi tantum vixerunt. Atque haec segregata et quasi in se ipsa conclusa vivendi ratio illud est, in quo pulchre cernitur an-

tiquitatis indoles, quae, quoniam populi nondum perfectissimae communionis vinculo continebantur, in polytheismo et paganismo facta est conspicua.

§. 10.

Postquam Christianismus quarto aerae nostrae et sequentibus saeculis latius coeptus est propagari, quotquot gentibus divinae religionis lux affulsit, omnium sentiendi cogitandique ratio prorsus mutata est. Quae nova indoles ei, quae superiori tempore praevaluerat, plane opposita est, quippe mutuae necessitudinis, qua prioris aetatis homines caruerant, notis distincta. Diversissimi enim ingenii et natura maxime inter se discrepantes populi quasi sub vexillis unius ducis ac principis militant, licet inter singulas cohortes, ut fieri solet in vasto exercitu, dissensio animorum jamdudum oborta sit.

§. 11.

Quae ipsa dissensio indolem temporum novissimorum mirum quantum denuo mutavit. Quam enim Christus generi humano coelitus libertatem vindicaverat, eam abolere conatus est Romae pontifex maximus, abusus iste quidem fidei vi divina ad coercendos in vincula humana eaque sua fidentium animos. Quo artificio nova plane eaque huc-

usque inaudita servitus, animorum puta, exorta est. Cuius turpissimi jugi impatientes quum fortium pectorum virtus vincula illa vere daemoniaca rupisset, usa in hoc divino facinore divinae libertatis gladio: tam alte sese libertatis denuo natae sensus animis impressit vitamque ita omnem omnium explevit, ut, quemadmodum olim Romani regum, sic Christiani vinculorum nomen odio accerrimo persequerentur. Quo factum est, ut pedetentim vel fidei ipsius natura, utpote vinculi speciem prae se ferens, suspecta iudicio libero redderetur. Unde in dubitationum gurgitem delapsi sunt. At enim vero quemadmodum homines Deo iunguntur fide, utpote non mentis sed animi vinculo, sic rupta fide in perfidiam rapiuntur, effrenata quadam temeritate inanibus dubitationibus inhiantes. Quo ipso temere dubitandi studio, materialismi commenta mirum in modum fovente, aequales nostros ferri videmus.

§. 12.

Etenim recentiori memoria homines repudiata fide sectati sunt, animi sui ipsius viribus freti nec deo se indigere putantes, libertatem, quam fere solent absolutam vocare. Ea inter elatos superbia

Anglos Naturalismum, apud molles luxuria Francogallos materialismum procreavit. Materialismus his, primum regnante Friderico Magno, qui huius doctrinae placita in Germaniam transtulit, iterum inter magnas illas in Gallia rerum omnium conversiones mire effloruit, atque ex eo tempore quasi pro communi bono est habitus: id quod vel inde colligas, quod omne illud saeculum, quo plurimi Materialismi decretis innixi ad summam sentiendi et iudicandi temeritatem rerumque divinarum contemptum se extulerunt, eruditum siue philosophicum appellare quibusdam placuit. Unde non solum ii, qui aliquo loco et numero essent, sed inferiorum etiam ordinum homines laetabundi aetatem suam in id tempus incidisse iactarunt, quo, reiectis, quibus maiores ducti fuissent, praëiudicatis opinionibus, scientia in fidei locum successisset. Quis est igitur qui miretur, fautores huius doctrinae eam hodie honore vere divino prosequi?

§. 13.

Causam eius rei qui indagauerit, vel ipsam a sentiendi ratione aequalibus nostris familiari repetendam viderit. Quid enim? per pacis otia omniumque rerum abundantiam ingenia libere se exercue-

rant et philosophando fuerant delectata. Exortis vero, quibus plurimos populos grauissime afflictos scimus, turbis bellicis, ingeniisque communis calamitatis magnitudine fractis atque oppressis, hominum studia ad vulgaria et ad vitam sustentandam necessaria conuersa sunt. Hinc literae ita coeperunt labi, ut hodie plures quam ullo umquam tempore victus quaerendi causa iis operam nauent. Humus, ex qua nati sumus, antiquum sibi ius suum vindicat, cognatusque humo Materialismus quam maxime emergit et plurimos nanciscitur sectatores, ita ut ei physici maxime et medici non tam faueant quam seruiant.

§. 14.

Jam, qui insitum menti humanae in primas rerum causas inquirendi studium, qui occidentalium populorum inde a Graecis auctoribus propensionem ad colligenda visibilia atque diuidua in materiam, qui materialis doctrinae eam perfectionem, ad quam recentioribus temporibus a philosophis, physicis et medicis est adducta, consideret, vix poterit quin in quaestiones quasdam incidat, quarum alias solvere facilius, alias difficilius est.

§. 15.

Ac primum quidem de quo quaerendum est, facile explicueris: unde omnino illud causas et fines rerum investigandi studium originem trahat. Nascitur nimirum ex ipsa naturae humanae ratione et fine ei proposito. Etenim natura humana non est ea, quae, sicut animalium vita, angustis praesentis temporis limitibus contineatur, sed multo patet latius, ita ut animus noster, superatis rerum, quas sensu percipimus, terminis, et ad praeterita et ad futura transgredi atque de omnium rerum tum initio tum fine quaerere cogatur. Eoque in studio animus humanus omnibus saeculis et apud omnes populos sibi constat, neque aut removeri id studium aut mutari ullo modo potest: unde patet insitum esse propter finem extra huius vitae cancellos positum.

§. 16.

Non difficilior explicatu secunda quaestio est: cur occidentales philosophi, inde ab iis, qui primi apud Graecos philosophiae laude floruerunt, causam rerum materiam, finem earum huius dissolutionem iudicauerint. In occidente qui primi existerunt philosophi, ii puerorum more de iis tantummodo, quae in sensus caderent, quaesiverunt.

Qui quum ad rerum originem atque interitum animum aduerterent, factum est, ut et initium et finem rerum ab elementis earum sive substantiis repeterent. Quae communia omnibus substantiis essent, siue uniuersale omnium elementum, appellauerunt materiam, h. e. id, quo tamquam fundamento omnia visibilia ac diuidua nitantur, quod ipsum autem neque conspici neque diuidi possit, scilicet atomum. Unde natam videas tum veterum, tum recentiorum, qui illorum vestigiis institerunt, philosophorum doctrinam atomisticam.

§. 17.

Tertium, certane notioni materiae subsit cognitionis veritas, non potest ad liquidum perducii, nisi antea de cognitionis vi ac natura disputatum fuerit. Qua in re exponenda qui unus omnium, qui inde ab Aristotele usque ad Baconem, Lockium, et Humium ad philosophiam studia sua contulerunt, et subtilissime et felicissime versatus est, Kantius, in omni cognitione distinguit rem cognoscendam, i. e. varietatem eorum quae sensibus percipiuntur, et formam cognoscendi, quae posita est in consensu perceptorum secundum leges cogitandi, quas categorias vocat; quam distinctionem non temere quisquam infitietur naturae facultatis cogno-

scendi, qua praediti sumus, apprime conuenire. Etenim ubi accuratiori examini eam rem subieceris, profecto videbis neminem posse ad ullam peruenire cognitionem, nisi et perceptio rei, quae fit sensuum ope, et cogitatio antecesserit; ergo perceptionem rerum fundamentum esse cognitionis; cogitationem autem, qua elementa cognitionis coniunguntur coniunctaque ad certam quandam normam exiguntur, pro principio cognoscendi esse habendam.

§. 18.

Ex his, quae modo sunt disputata, certissime et sole meridiano clarius consequitur, eos, qui omnem nostram cognitionem ex rebus externis sensuum ope perceptis vel usu quotidiano obseruatis repetant, more empiricorum, quorum agmen ducunt Baco et Lockius, non minus erroris esse arguendos, quam illos, qui omnem cognitionem ex cogitatione deriuant; quam sententiam Fichtius quum nuper iusta ratiocinationum serie probatum iuisset, Idealismum ad summam perfectionem euexit. Atque empirici quidem errant, quia cogitatio perceptione sola non absoluitur; idealismo autem addicti, quia perceptio nequit ex mera cogitatione nasci. Verae cognitionis elementa demum in perceptione arctissime cum cogitatione coniuncta cer-

nuntur, quippe quarum altera materiam, altera formam cognoscendi suppeditet.

§. 19.

Cognitio tamen elementis suis, perceptione et cogitatione, nondum absolvitur. Usus enim docet cognitionem diuersam esse solere, prouti ex sensibus, aut ex intellectu, aut ex ratione nascatur; quae quidem cognitionis genera singula peculiari quadam et indole et materia sunt conspicua. Cognitio sensuum ope effecta in intuitione, quam in uniuersum vocamus, cernitur, comprehendens, ut materiam suam, omnia quae re vera sunt, rerum uniuersitatem nostramque ipsorum naturam corpoream. Quae uero ab intellectu proficiscitur cognitio ea in notionibus est posita, habetque pro materia latissime patentem eorum, quae scientia nobis assequi licet, ambitum. Cognitio denique ex rationis actione nata absolvitur idea, h. e. eorum quae debeant esse conscientia, spectatque sancta siue diuina, i. e. perfectissimam et absolutam unitatem. Cuius triplicis cognitionis nullum genus altero confirmari aut compensari potest, uerum suas quodque res sibi habet subjectas, suisque quodque nititur rationibus atque argumentis.

§. 20.

Quare si cognitioni pateret materia sive substantia rerum, hanc cognitionem aut a sensibus, aut ab intellectu, aut a ratione proficisci atque perceptionis ope effici necesse esset. Atqui rerum substantia resque ipsae per se aliquid sunt, quod reale vocant: eius autem, quod per se est, cognitionem neque intellectus nec ratio affert, sed quae rationis ope fit cognitio, mere idealis, quae intellectus ope, mere intellectualis est. Ergo materiae cognitionem necesse esset per sensus effici. Atque omnino quidem videmur rerum substantiam oculis cernere manibusque contrectare, quaeque oculis subiecta est corporum universitas, eam ex substantiis compositam existimare solemus. Sunt lapides et metalla, sunt plantae et corpora animata, quid multa? omnia omnino corpora in substantias h. e. in partes minutissimas, in atomos, dividi possunt, ita ut doctrina illa atomistica antiquitus excogitata ipsis sensibus nostris confirmari videatur. At enim vero ubi accuratius in sensuum nostrorum perceptiones inquirimus, statim materiae evanescent. Nihil enim oculis cernimus nisi colores et formas, h. e. refractiones et fines lucis;

lux vero in atomos dispesci nequit, neque aliis notis cognoscitur, quam quod videndi copiam nobis faciat. Auribus soni tantum, nullae autem substantiae, nullae atomi, percipiuntur. Gustu acida tantum aut dulcia, aut amara cet., olfactu bene aut male olentia percipimus, minime tamen substantias ipsas, quas iis, quae gustu et olfactu percipimus, substernere lubet. Pariter calorem et frigus sentimus, nullam autem caloris, nullam frigoris substantiam. Denique contrectatione sola, clausis oculis, obiectum quidem aliquid sentimus, duraque a mollibus, aspera a laevibus, resistentia a cedentibus, gravia a levibus dignoscimus, verum nullas invenimus materias, nullas atomos. Ergo si rerum substantias neque videre aut audire, neque gustare aut olfacere, neque palpare et contrectare nobis licet, pro explorato habendum, cognitionem materiae non posse a sensibus proficisci. Quod quum, uti antea est demonstratum, ne intellectu quidem aut ratione effici possit, plane apparet de cognoscenda materiae natura nobis esse desperandum, nec nisi hoc unum indagandum, quid sit, quod iubeamur materiam omnino sive substantiam rerum statuere, cuius fundamento omnes res ita nitantur, ut neque oriri eo non parato, neque sublato valeant perstare. Ad quam quidem

rem antequam animum adverteamus, quae modo sigillatim de materia sensibus inaccessa exposita sunt, quo uno quasi intuitu perspiciantur, in summam sunt colligenda.

§. 21.

Igitur de rebus externis quemadmodum non compertum habemus nisi sensuum beneficio, ita singuli sensus per peculiare tantum ipsis perceptiones notitiam rerum nobis afferunt. Itaque universus ille rerum externarum complexus nihil est nisi summa cunctarum perceptionum nostrarum. Atque hae quidem non sunt rerum substantiae, sed aliquid nobis ipsis proprium, ut in quo omnis vis et ratio percipiendi contineatur, et per quod earum nobis fiamus conscii. Quare res externae nobis nullae sunt, nisi perceptiones et cogitationes accesserint; omnisque earum complexus materia tantum est conscientiae nostrae ad ea quae non sunt in nobismet ipsis conversae. Quare quaecumque tandem per se sint res externae, sunt merae nobis, sive formae sive materiae rationem habeas, cogitationes. Neque enim alia forma res nobis apparent, quam qua sensus et mens eam induunt; quod quum negari nequeat, rerumque quales per se sint nobis non pateant substantiae, se-

quitur materiam rerum sensibus nostris non posse attingi. Igitur materia rerum, quam vocant, nulla est nisi vis ac natura, incognita illa quidem nobis, qua in sensus nostros extrinsecus agitur, quam quidem cogitatione licet a forma seiungere, sed cogitatione scilicet, qua nihil extrinsecus allatum continetur. Stat ergo sententia: fundamentum rerum siue substantiam, quam vocant materiam, nullo modo posse a nobis cognosci.

§. 22.

Nihilosecius tamen ita formati sumus atque natura instructi, ut contra intellectus iudicium, idque siue ignorantes siue spernentes, sensum nostrorum quodam quasi instinctu ducti fretique, substantiam rerum materiamue alte animis nostris infixam quasi teneamus. Unde corporum corporeique mundi ex materia conflati fides nobis atque persuasio nascitur. Huic fundamento omnes disciplinae nec non artes mechanicae et opificia quaecunque superstructa sunt. Quid igitur? num physicorum experimenta, num opificum labores, num vitae quotidianae usus, qui versatur in varia variorum corporum contrectatione, num haec omnia vana opinione nituntur? nullo modo: sunt corpora, est mundus corporeus: sed quid sit illud, quod vim naturam-

que corporum omnem constituat, ignoramus, certe non oculorum acie nec reliquorum sensuum ope compertum habemus. Sed ut redeamur unde digressi sumus: quid est, quo iubeamur tribuere rebus stabile illud atque immutabile quod venit nomine substantiae, cuius fundamentum in materia hypothetica ponimus? Mens ipsa est, in qua huius rei necessitas residet. Est nimirum haec innata menti humanae lex, ut quaelibet sensuum phaenomena in unitatem colligat et quasi formet. Eam unitatem inscii in res ipsas inferimus tanquam substantiam earum atque id ex quo constant orienturque; ut verbo dicam, tanquam materiam. Unde non mirum, omnia dici ex materia constare, materiamque esse, per quam sint corpora.

§. 23.

Facile autem unicuique perspicitur naturae mentis non prorsus ignaro, quum omnis cogitatio in formando posita sit, quae sunt externa et sensibus movendis nos afficiunt, ea in formam demum redigi tum sensuum, tum maxime mentis vi formatrice, qua fit ut omnia externa constituentur ac firmantur. Res enim in sensus nostros cadentes perpetua fluctuatione et confusione turbarentur, nisi

mēns elementa illarum certo ordine disponeret et suo quodque loco contineret. Cuius contrarium, exempli gratia, in vertigine videmus. Sola igitur mente efficitur, ut quae sensibus percipiuntur, firma et immutata maneant. Atque id ipsum quod sibi constat in rebus mutabilibus efficitque ut omnino nobis sint, essentiam illarum substantiamue vocamus, nihil aliud ista rerum proprietate nisi cogitandi eas modum quemdam necessarium, utpote menti nostrae innatum, significantes. Itaque, ut imagine utar, sensus quasi radios rerum suppediant, mens centrum; qua ratione mente ac sensibus coniunctis integer rerum circulus nascitur.

§. 24.

Ita intelligimus, quod corpus, materiam, substratum vocamus, non in rebus ipsis inesse, sed ab nobis demum, et quidem insciis, in ea quae sensibus percipimus inferri. Quare nihil nisi hypostasis est, si materiam aliquid per se esse putamus. Quae rerum per ipsas natura est, cernitur eo quod sunt; esse eas autem, eo quod agunt aliquid; agere eas porro, efficientia; efficientiae denique causa est vis. Itaque cuiuslibet rei vera natura est definita quaedam siue finibus quibusdam circumscripta vis. Fines autem illi lege continentur:

quare unaquaeque res vis est legi adstri-
cta, rerumque universitas est infinitas
virium legibus subiectarum, siue mundus
dynamicus, in quo illud tantum quaeritur, quae
origo sit virium illarum legumque.

§. 25.

Nec vires finitae sine vi infinita, nec leges sine
legislatore cogitari possunt. Atqui nullam novimus
infinitam sive liberam vim, nisi voluntatem, neque
legum ferendarum fontem alium, quam intelligen-
tiam. Ergo mundus siue rerum uniuersitas pro ef-
fectu habendus est voluntatis et intelligentiae, quae
eadem necessitate cohaerent qua vis et lex, qua
materia et forma. Ut aliis verbis dicamus, res crea-
tae creatorem requirunt ut causam sufficientem. Id
si ita est, repugnat, praeter creatorem alium adhi-
beri rerum fontem: ex quo patet, materiam, quae
fundamentum rerum sit, ad nihilum redigi. Ma-
teria rerum reapse nihilum est: non enim indiget
creator alia materia.

§. 26.

Qui rerum causam et naturam a materia repe-
tunt, non solum opus esse creatore negant, sed et-
iam, si quis esse creatorem statuatur, eum praeju-

dicatae opinionis, repugnantiae, omninoque vecordiae arguunt. Disputant autem in hunc fere modum: „Omnia quae sunt procreans vis in ipsa materia sita est, quae hac vi pollens natura nobis vocatur. Omnis ordo, omnis forma, quin omnis vita nascitur conjunctis materiae particulis; quae conjunctio sicuti attrahendis cognatis efficitur, ita repellendis alienis conseruatur. Quaevis natura sic orta legi attrahendorum utilium et repellendorum noxiorum adstricta est. Sympathia igitur et antipathia communes sunt omnium et physicarum et moralium rerum leges. Quaevis natura semet ipsam conseruare studet, quod studium in inanimatis naturis vi inertiae, in animantibus sui amore continetur.“

§. 27.

Si hypothesebus temere fingendis, mente consulto obcaecanda, circulis in definiendo admittendis, generalibus ex specialibus, toto ex partibus, invisibilibus ex visibilibus derivandis ad verum perveniri posset, nihil profecto materialismi commentis esset verius. At si vera sunt quae de materiae vanitate non statuimus tantum, sed vero etiam probauimus, cuncta illa, quae materialismi sectatores, ut licentiam in agendo saluam conseruent, mira

insolentia somniant, illico corruunt jure nobis indignabundis repudiata.

§. 28.

Ut autem, qui materialismo favent philosophi, in limine statim doctrinae suae eo labuntur, quod omni rerum naturae omnique vitae aliquid, quod non est, substernunt, sic etiam qui se naturae philosophos appellant, necquidquam in eo elaborant, ut materiam, cuius certam causam ex rebus in sensus cadentibus eruere nequeant, ex idearum figmentis repetant: ex eo scilicet, quod absolutum vocant, manare eam perhibentes. Si absolutum illud de Deo rerum omnium creatore intelligunt, non opus huic est materia; sin autem absoluti nomine, Okenio teste, merum nihilum appellant, non potest inde quidquam materiale enasci. Etenim illud, ex nihilo nihil fit, verissime dicitur. Quo tandem modo possint gravitatis, luminis et caloris principia, quorum fundamento rerum universitas nititur, ex eo oriri, quod per se nihil sit nisi heuristicum i. e. hypotheticum adeoque sibimet ipsum repugnans principium? Mittamus igitur has nugas, in quibus humana scilicet temeritas sibi placuit. Dignum est enim, ne dicam sapiente viro, modesto tamen, ut in perscrutanda rerum natura non ex-

spatietur ultra mentis humanae limites. Licitum nobis est res externas quoad vires legesque iis insitas observare inque usum nostrum convertere; quem tum cognoscendi tum agendi terminum neque doctrina neque vita nostra debet excedere.

§. 29.

Non igitur naturae scrutatores neque in chemicis rebus neque in physiologicis habent, quod in elementis earum inveniendis laborent. Elementorum enim vis ac natura recte in simplicitate ponitur, quam non cadere in ea, quae sensibus percipiuntur, manifestum est; inquirere vero sensuum ope in naturam rerum eam, quae sensus fugit, absurdum. Igitur elementa sic dicta chemica, si sensibus percipi nequeunt, ignorantur; si possunt, elementa non sunt. Scilicet egregie falluntur, qui corporum per artem chemicam solutione ad elementa eorum ipsa se tandem peruenturos sibi persuadent. Aut enim re vera soluuntur corpora, veluti aurum in aqua regia, vel adamas speculi caustici ardore, qua quidem artis vi elementa una cum corporibus diffugiunt; aut restant particulae, uti in salibus galvanico igne solutis, metallicae: in quibus si semina quasi corporum istorum conspiceri sibi videntur physici, ideo errant, quod quae oculis subiiciuntur particu-

lae, quantumvis minutae, formam tamen habent qualemcumque, forma autem quaelibet simplicitate caret, quippe in qua, ut ante dictum est, elementi natura versatur, atque ea quidem, ut verbo absolvamus rem, non physica sed metaphysica. Neque minus temere physiologi formam vitamque animantium ex elementis materiae organicis repetere annuntiantur. Si enim non datur elementum, siue prima olim sic dicta materia, multo minus organica possunt elementa concedi. Atque ut ponamus, minime vero concedamus, esse omnino substantiam siue materiam, in ipsa tamen materiae organicae notione inest repugnantia. Si enim structura organica, quam organismum vocant, ex materia organica oriri putatur, haec materia aut ab ipsis primordiis praedita organis est atque formata, aut secus. Quaeritur autem in utraque caussa, unde trahat materia formam, quippe cuius notio illi plane non inest. Quare praeclare Aristoteles proprium formae principium vindicavit. Eadem ratio est in vitae ex organicae materiae derivatione. Ut huius generis materia ponatur, non concedatur: si primitus vita vacavit, eam nequit ex sese evolvere; sin vitam a primordiis eamque reconditam in se continuit, nequit sine vitae notione cogitari, scilicet quae non magis materiae notioni inest, quam forma. Ergo

repugnat vitam ex organismo, nedum a materia, tanquam elemento suo, oriri.

§. 30.

Quodsi a materia deriuari, utpote notione hypostatica, neque forma rerum, neque animantium vita potest, multo minus poterit animus humanus una cum mente et voluntate, quam necessario liberam irrefutabilis ratio postulat. Quare ubi vel animi, vel mentis, vel voluntatis aegrotat vita, quippe quae non agitur per organorum structuram, licet sine organis exseri nequeat: morborum istorum neque originem neque naturam licet in corpore quaerere, quamuis moleste animi pathemata ferat organorum natura ac vis: verum aliunde petendus est malorum istorum fons; de quo satis superque jam dudum a nobis disputatum est, renitentibus medicis et male auctorem mulcantibus. Quapropter hoc loco sufficiat horum meminisse. Verum enim vero haud magis laudibus mulcebitur nostra de materiae vanitate sententia, utpote Astronomiae mechanicae, Physices atomisticae, Chemiae elementaris, Physiologiae materialis, Psychiatriae somaticae interitum vaticinans; sed uno ore

„quae te dementia cepit“

conclamabunt quicumque assueta, licet inepta, quam

vera sed inconsueta audire malunt. Qui nimirum, quid tandem, inquit, novus iste homo illorum loco nobis afferet, quae legitime a proavis nostris coluimus? “ Nihil omnino, o quiritantes, nisi exhortationem, ut vera pro fictitiis, viva pro emortuis, verbo, pro mechanica disciplina amplexemini dynamicam.

Sed veniendum mihi jam est ad id, cuius causa haec commentatio a me edita est. Nam quum FRIDERICI AUGUSTI, POTENTISSIMI SAXONIAE REGIS, PATRIS PATRIAE, clementia, Sapientissimorumque Virorum, qui res nostras administrant, fauore, munus professoris medicinae ordinarii nouae foundationis in hac litterarum Uniuersitate demandatum mihi sit: id munus d. XVII. Ianuarii a. c. in Auditorio Iuridico publica oratione de rationis humanae recta et perfecta notione auspicatorum sum. Quam solemnitatem ut Vos, Magnifice Rector Academiae, Celsissimi Principes, Illustrissimi Comites, Grauissimi utriusque Reipublicae Proceres, Generosissimi et Humanissimi Commilitones, Vestra praesentia ornare velitis, ea, qua decet, obseruantia, oro rogoque. Scrib. in Uniuersitate Artium Lipsiensi. d. 30. Decbr. MDCCCXXVI.

Sed veniendum non est ad id, cuius cau-
 sa haec commentatio a me edita est. *Ann. d. 1771.*
 FRIDERICI AUGUSTI, POTENTISSIMI SA-
 XAE REGIS, PATRIS PATRIAE, clementia, Sa-
 pientissimorumque Virorum, qui res no-
 stras administrant, favore, munus professoris
 medicinae ordinis hunc fundationis in hac litera-
 rum Universitate demandatum mihi sit: id munus
 A. XVII. Januarii a. c. in Auditorio Iudicio publica-
 ratione de rationis humanae recta et per-
 lecta notione suscipiendum sum. Quam solem-
 nitatem et Vos, Magnifico Rector Acadе-
 miae, Celestissimi Principes, Illustrissimi
 Comites, Graniosissimi virique Rectori-
 bus Proceres, Generosissimi et Humanis-
 simi Commissiones, Vestra praesentia oratione
 velitis, ea, qua deest, observantia, oro rogare.
 Sedit in Universitate Artium Lipsicae d. 30. Decem-
 MDCCXXVI.

